

Duo pensitabimus: 1. Quædam se
habent instar *principiorum* quorundam
(laxè dictorum) ut sunt Leges, Præce-
pta Ecclesiæ, & cæt. 2. Quædam verò ad
subjectum Theologiæ Practicæ perti-
nent.

**I. DE LEGIBVS miræ Papistarum
contradictiones.**

1. De lege humana & naturali mixtè.
Legam hic vestigia Azorii lib 5 Institut.
moral.] i. An lex pertineat ad rationem,
an verò ad voluntatem? Prius quidam,
posteriorius alii defensant apud Azorium
lib 5. c. 2. magno utrinq; numero Scho-
lastici.

2. An oporteat legem humanam esse
scriptam, ut nos liget? Sunt duæ opinio-
nes: Prima affirmat scripturam requiri
ad legem humanam, ut Albericus, Sal-
cetus, Glossa Archidiaconus & alii. Se-
cunda negat. Vide Azorium lib. 5. cap. 2.
fol. 315. i. Affirmantes pugnant contra
Bellarminum, qui ut traditiones tuea-
tur, leges non scriptas in medium addu-
cit lib. 4. c. 8. § Deinde, de verbo DEI.

3. An sit necessaria scriptura ad sub-
stantiam & rationem Privilegii? Alii
affirmant, alii negant. Azor. lib. 5. cap. 2.
fol. 315. 2.

4. De